


LVNÆ DIE 14 M. IVNII A. 2010

A.d. XVIII Kal. Iulias a. MMX

I 5 6

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

REDACTRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://web.me.com/fundatiomelissa>

Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P701451

AD LECTOREM

DE ARELATE DVPLICI

*Pande, duplex Arelate, tuos blanda hospita portus,
Gallula Roma Arelas, quam Narbo Martius et quam
Accolit Alpini opulenta Vienna colonis,
Præcipitis Rhodani sic intercisâ fluentis,
Ut mediam facias navali ponte plateam,
Per quem Romani commercia suscipis orbis
Nec cobibes populosque alios et mœnia ditas,
Gallia quis fruitur gremioque Aquitania lato.*¹

Cur Ausonius in posteriore parte quarti sæculi Arelate (sive Arelatem) vocaret duplex, nemo intellegebat usque ad recentissima tempora. Etiam ei, qui anno 2003 hoc carmen in Francogallicum verterunt,² falsam interpretationem fecerunt, cum scriberent : « Ouvre, Arles, douce hôtesse, ton double port... » ; in Latino enim textu non agitur de duplici portu, sed de duplici urbe Arelate.

Quarto sæculo Arelas, quæ barbarorum vastationes nondum subiit, est urbs magna opulentaque. Ausonius significare videtur urbem in utraque Rhodani ripa late patere, unde adiectivum « duplex » ; addit pontem navibus sustentum quasi mediam plateam esse.

Arelas sita est in aditu Rhodani ostii ; eius vetus nomen Arelate indigenarum lingua significat « prope lacum » ; circa enim tunc temporis sunt paludes. Exeunte quinto sæculo a.Chr.n. Græci ibi emporium instruunt et postea coloniam deducunt *Tbeline* vocatam, in qua non diu manent. Galli enim iam quarto sæculo oppido potiuntur eique nomen Arelate restitunt ; infesti sunt vicinæ magnæque colonix Græcæ Massiliæ. Anno 118, devictis Gallis, Romani in Gallia meridionali provinciam Gallix Narbonensis creant. At iam anno 109 innumerabiles catervæ Cimbrorum et Teutonum in Galliam irrumpunt et Romanos exercitus quater vincunt.

Gaio Mario, qui modo Iugurtham in Numidia vicit eumque in triumpho suo populo Romano exhibuit, mandatur ut patriam servet impediaturque ne barbari in Italiam penetrent. Castris anno 104 in Rhodani ripa prope Arelate positus, ibi duos annos opperitur barbaros per Hispaniam et Galliam vagantes. Milites Romani, dum exspectant, canalem, Fossas Marianas vocatum, inter Arelate et litus maris extra Rhodani ostium fodiunt, quo exercitus commeatu ex Ostia navibus facilius advehatur. Teutonibus anno 102 Aquis Sextiis (v. *Aix-en-Provence*), non longe ab Arelate, a Mario profligatis, Gallia Narbonensis iterum pace fruitur.

Prosperitas Arelatis incohatur post bellum civile, cum Pompeius a Cæsare Pharsaliæ vincitur ; Massilia enim Pompeii partes secuta est, Arelate eas Cæsaris. C. Iulio Cæsare M. Æmilio Lepido consulibus, anno 46

Arelate fit Colonia Iulia Paterna Arelatensium Sextanorum, ubi collocantur veterani sextæ legionis. Inde urbs amplificari atque præstantibus ædificiis instrui incipit. Augustus Viam Aureliam usque Arelate producit ; hæc nova pars vocatur Via Iulia Augusta.

Infeliciter urbs inter annos 250-270 incursiones barbarorum Alamanorum patitur, qui eam partim diripiunt. Tantum ineunte quarto sæculo Arelate restituitur et ad novum splendorem ducitur ab imperatore Constantino I, qui tam sæpe ibi sedet ut urbs tunc cognominetur Constantina. Constantinus anno 314 ibi etiam concilium instituit, quo Donati schisma condemnatur. Ineunte quinto sæculo Galliarum prætorii præfectura transfertur Treveris, cui urbi nimis minantur barbari, Arelatem ; complures imperatores ibi versantur atque anno 417 papa Zosimus Arelatensem ecclesiam primariam facit totius Gallix.

Exeunte quinto sæculo incohantur funesta tempora ; adsunt barbari, iterantur obsidiones et fames, agri vastantur. Exeunte sexto sæculo pauci incolæ supersunt inclusi intra mœnia in orientali ripa. Barbari planam ripam occidentalem magis diripuerunt, quam orientalem, cuius collis erat bene munitus. Pons navalis tunc disparuit nec ante annum 1875 novus pons exstructus est, *pont de Trinquetaille* vocatus, quem anno 1888 depinxit Vincentius Van Gogh.



AD LECTOREM

Trinquetaille est nomen quo a Medio Ævo vocatur suburbium ripæ occidentalis. Tam miserabile fuit hoc suburbium usque ad undevicesimum sæculum, ut nemo historicus crederet ibi antiquo tempore floruisse alteram Arelatis partem. Nonnulla tamen antiqua vestigia ibi sparsim reperta erant, ut sarcophagi, opera musiva et anno 1945 fundamenta magni ædificii.

Hæc opinio paulatim mutata est propter effossiones subaquaneas in Rhodani alveo ante viginti circiter annos incohatas. Inventa harum effossionum, quæ usque ad proximum mensem Ianuarium in Museo Arelatis antiquæ laute exponuntur,³ nobis contigit inspicere.

Effossiones incohatæ sunt anno 1981 secundum litus Campi Marii (v. *Camargue*); ibi anno 1989 prima antiqua navis demersa reperta est atque eodem anno statutum est Rhodani alveum iuxta Arelate explorare, id quod periculosum multoque difficilius est; visibilitas præsertim est quasi nulla propter aquam turbidam. Inexpectate magna crassamenta compluribus chiliometris longa et compluribus metris alta reperta sunt secundum occidentalem ripam, quibus continentur centena milia rerum antiquarum; quo patet in parte occidentali Arelatis olim corpora naviculariorum et lenunculariorum prosperam habuisse sedem.

Fieri non potest, ut omnes res extrahantur; itaque urinatores id eligunt quod videtur esse maioris momenti. Summum gaudium fuit Cæsaris, Arelatis coloniæ conditoris, marmoreum caput bene servatum invenire (vide imaginem in huius fasciculi tegumento); statua faciei veritatem mirum in modum imitatur, ita ut periti putent eam vivo Cæsare aut saltem paulo post eius mortem fictam esse. Alterum marmoreum caput extractum est, quod dicunt esse Lepidi, alterius coloniæ Arelatis conditoris.

Fractus Neptunus (vide imaginem p. 1) pæne inte-

ger restitui potuit, quamquam marmorea fragmenta dispersa erant, interdum triginta metris inter se distantia. Dei laterale fulmentum hic non est delphinus, ut solet in arte hellenistica, sed monstrum marinum, quod apparet tempore principatus. In basi distincte legitur titulus, qui sic compleri potest: « numinibus Aug(ustorum) n(ostorum) (trium) honori corporis renuncliariorum P(ublius) Petronius Asclepiades donum dedit. » Renunclarius est senior mutatio vocabuli, quod est « lenuncularius », id est nauta naviculis plano alveo merces transportans; multæ partes huiusmodi navicularum inventæ sunt.



Multæ aliæ res exponuntur, ut varia amphorarum genera, ferrum regulare, fictilia, instrumenta navalia...

Si quis inter ferias Provinciam adibit, ne hanc exhibitionem prætermittat. ☞

Gaius LICOPPE

1. *Ordo urbium nobilium* (to), auctore Decimo Magno Ausonio, IV s.

2. Translatio facta a rectoribus certaminis c.n. *Rallye Latin d'Orléans-Tours*, anno 2003.

3. Musée départemental Arles antique, « César. Le Rhône pour mémoire. Vingt ans de fouilles dans le fleuve à Arles », usque ad diem 2 m. Ianuarii a. 2011.



MEMNON SIVE DE HVMANA SAPIENTIA

– auctore Voltaire, interprete Francisca Deraedt –

Inter plurima opera, quæ Voltarius exaravit, nostris temporibus adhuc præcipue leguntur fabulæ philosophicæ. Parva fabula, quæ inscribitur *Memnon sive de humana sapientia*, conscripta est anno 1748. In scænâ lepide profertur Memnon, vir perfectæ sapientiæ studiosus. Patet auctorem irridere pseudophilosophum, qui ingenue putat accessum ad sapientiam dari facillime. Facillime vero incidet in... temptationes. Memnonis vani conatus ostendunt sapientiam niti moderatione, non rigidis et theoreticis regulis.

Memnon aliquando stultum iniit consilium, ut fieret plane sapiens. Pauci sunt homines, quibus hæc insania numquam succurrerit. Memnon sic cogitavit : « Ut sis sapientissimus, et inde felicissimus, satis est affectibus vacare. Nec quicquam facilius est, ut patet. Primum, nullam feminam umquam amabo ; cum mulierem videro pulchritudine eximiam, hæc mecum verba faciam : ‘Hæ genæ aliquando rugabuntur ; hi pulchri oculi rubore afficientur ; hæ mammæ rotundæ fient marcidæ et pendulæ ; hoc formosum caput fiet calvum.’ Sufficit autem, ut eam eisdem oculis nunc spectem, quibus eam tum spectabo ; nec sane ista mentem meam exturbabit.

« Secundo, semper ero sobrius. Frustra me tentabunt epulæ, vina sapida, illecebræ humanæ conversationis ; cogitabo quid intemperantiam sequatur : grave caput, stomachus onerosus, amissa mens, sanitas et tempus. Porro solum edam necessitatis causa : valetudo semper erit constans, cogitationes semper puræ et claræ. Hæc omnia tam facilia sunt, ut nulla sit laus huc pervenire.

« Deinde, inquit Memnon, cogitandum est de re familiari. Pauca cupio ; pecunia feliciter collocata est apud Ninivæ tributorum exactorem ; satis habeo, ut mei sim iuris ; hoc est bonorum maximum. Numquam erit ambiendum ; nemini invidebo, nemo mihi invidebit. Hoc etiam est perfacile. Mihi, etiam aiebat, sunt amici ; eos servabo, nam nihil a me appetendum habebunt. In eos numquam irascar, neque ei umquam in me. Nulla difficultas in hac re. »

Sapientiæ ratione sic in cubiculo instituta, Memnon per fenestram prospexit. Duas mulieres vidit, quæ prope domum sub platanis ambulabant. Altera erat anus nec videbatur de ulla re cogitare. Altera iuvenis erat, formosa, et videbatur mente valde occupata. Suspirabat, flebat, atque inde etiam venustior videbatur. Sapiens noster tactus est, non dominæ pulchritudine (nam pro certo habebat se non affici mollitia huiusmodi), sed mæstitia, in qua eam esse videbat.

Descendit, ad iuvenem Ninivitam eo consilio accessit, ut eam sapientibus verbis consolaretur. Speciosa femina ei modo maxime sincero maximeque miserabili narravit quantas iniurias acciperet ab avunculo, quem non habebat ; quibus dolis ille sibi eripuisset bona, quæ numquam exstiterant ; et quæ sibi essent ex eius vi timenda. « Mihi, inquit, videris esse homo tam prudens : si dignaberis domum venire resque meas inspicere, certo me expedies e gravi molestia, in qua nunc versor. » Memnon non dubitavit eam sequi, ut sapienter inspiceret res eius bonumque daret consilium.

Mæsta mulier eum duxit in conclave fragrantissimi plenum, atque eum urbane iussit considerare in magna sponda, ubi adversi sederunt, genu genui imposito. Mulier locuta est, demittens oculos e quibus interdum effluebant lacrimæ, et qui, cum attollebantur, sapientis Memnonis semper occurrebant oculis. Sermo eius plenus erat dulcedine, quæ augebatur quotienscumque inter se spectabant. Memnon omne studium in eius negotiis collocabat, et magis magisque cupiebat adiuvere dominam tam honestam tamque miseram. Sensim sine sensu, fervente colloquio, desierunt esse adversi. Genua non iam fuerunt genibus imposita. Memnon eam tam prope monuit, et consilia tam dulcia attulit, ut neuter de negotiis iam valeret loqui, neque scirent ubinam essent.

Cum res sic se haberet, advenit avunculus, ut expectandum erat, totus armatus. Qui primum dixit se necaturum esse, iure meritoque, sapientem Memnonem et neptem, postremo susurravit se veniam dare posse pro magna pecuniæ summa. Memnoni omnia danda fuerunt, quæ habebat. Eo felici tempore te expedire poteris haud magno damno ; nam America nondum erat inventa, et mæstæ dominæ multo minus periculosæ erant, quam sunt hodie.

Memnon, pudore mæroreque suffusus, domum rediit ; ibi epistolium invenit, quo ad cenam invitabatur una cum nonnullis bonis amicis. « Si solus domi manebo, ait, animum occupatum habebō hoc tristi casu, non edam, in morbum incidam. Præstat cenam modicam sumere cum bonis amicis. Eorum dulci conversatione obliviscar matutinam stultitiam. » It ad constitutum ; ceteri eum submorosum iudicant. Ad mæstitiam depellendam ei dant bibere. Paululum vini moderate sumpti et animo et corpori est remedio : sic cogitat sapiens Memnon. Et ebrius fit. Post cenam provocatur in aleam. Honestum est alea cum amicis ludere. Ludit ; perdit omnia, quæ sunt in marsupio, et fide data quater plura. De ludo fit contentio ; rixa oritur. Unus e bonis amicis in eum vas proicit oculumque dirumpit. Domum reducit sapiens Memnon, ebrius, inops et unoculus.

Crapulam paulisper edormit ; tum, simul ut caput est levius, ministrum mittit, qui pecuniam reportet a Ninivæ tributorum exactore, ut bonis amicis debitum solvat : ei renuntiatur exactorem creditores ita fraudavisse ut centum familiæ in discrimine versentur. Memnon, ira incensus, emplastro oculo imposito aulam petit manu tenens libellum, quo ius in fraudatorem postulet a rege. Ibi in aliqua exedra nonnullas dominas convenit, quæ omnes sub castula venuste gerebant circulos vicenorum quaternorum pedum ambitu. Una ex eis, quæ eum paululum noverat, oblique spectans, dixit : « Horribile visu ! » Alia, quæ eum melius noverat, dixit : « Salve, domine Memnon ; re vera, domine Memnon, mihi volup est te videre ; ceterum, domine Memnon, cur oculum perdidisti ? » Et abiit responsum non exspectans. Memnon se condidit in aliquem angulum, atque exspectavit dum ad regis pedes se liceret prosternere. Hoc tempus datum est. Pavimentum ter osculo tetigit, libellumque protulit. Sua Maiestas rem benevolentissime accepit et uni ex ministris tradidit, qui de ea referret. Administer Memnonem seorsum attraxit et ei dixit, vultu superbo, cum acerbo risu : « Mihi videris esse ridiculus luscinus, quod regem adis potius quam me, et etiam magis ridiculus, quod ius poscere audes in honestum fraudatorem, qui tutela mea fruitur, et qui est nepos unius ex amicæ meæ cubiculariis. Depone hanc rem, amice, si reliquum oculum servare vis. »

Ergo Memnon, postquam mane feminis, epulis, alea, omni turba imprimisque aula destiterat, ante noctem fraudatus et spoliatus erat a quadam pulchra domina, ebrius factus erat, alea luserat, rixam habuerat, oculum perdiderat et aulam adierat, ubi irrisus erat.

Obstupefactus doloreque suffusus, abit corde mæsto. Domum redire vult ; ibi exsecutores invenit, qui supellectilem poscentibus creditoribus auferunt. Manet sub aliqua platano, animo pæne relictus. Illac eadem pulchra domina, quam matutino tempore convenit, ambulat cum avunculo suo caro ; Memnonem videns ornatum emplastro tollit cachinnum. Nox venit ; Memnon iuxta domum recumbit in stramento. In febrim incidit ; sic correptus obdormiscit ; et somnio apparet quidam genius cælestis.

Qui splendore totus nitebat. Præditus erat sex pulchris alis, sed neque pedibus, neque capite, neque cauda, ac similis erat nullius rei. « Quis es ? » inquit Memnon. « Genius tuus bonus », respondet alter. « Tum redde mihi oculum, valetudinem, bona, sapientiam », ait Memnon. Dein narrat quomodo hæc omnia intra unum diem perdidit. « Talia numquam accidunt in mundo, in quo habitamus » inquit genius. « Et ubi-

nam habitatis ? » rogat vir mærens. « Patria mea », respondet, « quingenties centena milia leucarum abest a sole, in parva stella prope Sirium, quam inde vides. » « Quam pulchra regio ! » ait Memnon, « Quid ? Apud vos neque sunt scelestæ quæ miserum virum fallant, neque boni amici qui pecuniam ei eripiant oculumque effodiant, neque fraudatores, neque administri qui irrideant iusque negent ? » « Non est » respondet stellæ incola, « ullus huius generis. A feminis numquam fallimur, quod feminæ nobis non sunt ; non epulamur, quod non edimus ; apud nos fraudatores non sunt, quod neque aurum habemus, neque argentum, nemo nobis potest oculos effodere, quod nobis non sunt talia corpora qualia vestra ; atque administri in nos numquam inferunt iniuriam, quod in nostra parva stella omnes sumus pares. »

Tum Memnon : « Domine » inquit, « sine feminis et sine epulis, in qua re tempus teritis ? » « In tuendis » inquit genius, « aliis globis qui nobis mandantur ; ideo ad te venio solacii causa. » « Eheu ! » ait Memnon, « quin præterita nocte venisti me a tot insaniis deterritus ? » « Fui apud Assan, maiorem fratrem tuum » respondet vir cælestis ; « est enim te miserior. Sua Celsitudo, rex Indiarum, cuius aulam frequentare ei est honori, iussit utrumque oculum effodi ob rem nugatoriam, et nunc iacet in carcere, vinctis manibus et pedibus. » « Videlicet operæ pretium est » inquit Memnon, « in familia bonum genium habere, ut duorum fratrum alter sit luscus, alter cæcus, alter in stramento, alter in carcere iaceat. » « Fortuna mutabitur » ait animal stellare ; « luscus quidem manebis ; at præterea satis felix eris, dum ne umquam stultum in eas consilium, ut plane sis sapiens. » « Est ergo res », Memnon suspiravit, « ad quam perveniri non potest ? » « Neque fieri potest », respondit alter, « ut sis plane sollers, plane fortis, plane potens, plane felix. Et nos inde longe absumus. Exstat quidem globus, in quo hæc inveniantur ; sed inter millies centena milia mundorum, qui per sublime distributi sunt, omnia fiunt gradatim. Minus obtinetur sapientiæ et voluptatis in secundo orbe quam in primo, minus in tertio quam in secundo. Et ita porro usque ad ultimum, in quo omnes prorsus insaniunt. » « Timeo » ait Memnon, « ne globulus noster terrestris sit ille ultimus, de quo mihi narrare dignaris. » « Non omnino » inquit genius, « sed haud longe abest ; oportet omnia suo sint loco. » « Hui ! » dicit Memnon, « ergo quidam poetæ et philosophi falso dicunt omnia esse bona. » « Recte dicunt », ait cælestis philosophus, « si consideras ordinem totius universi. » « Ha ! » inquit Memnon, « hoc tum demum credam, cum non iam ero luscus. » ☞

DE ROMANO IMPERIO ORIENTALI (IX)

ISLAM ORITVR

– scripsit Gaius Licoppe –

Septimo sæculo, cum oritur Islam, Arabes non sunt novi actores in Proximo Oriente. Iam diu antea Arabicæ tribus ex Arabiæ solitudinibus ortæ continuis bellis inter Romanos et Persas utuntur ut se gradatim insinuent in eorum fines. Imprimis vix animadvertuntur, sed paulatim territorium ita occupant, ut gubernatores tum Sassanidæ cum Romani magis Semitis, quam Persis aut Græcis imperent. Insuper ineunte secundo sæculo p.Chr.n. incohatur hellenismi repulsio in regno Aramæo Edessæ, cuius dialectus Syriaca a medio tertio sæculo magis magisque extenditur ad christianismum.

Palmyra regitur ab optimatibus stirpis Arabicæ; clarissima eorum est regina Zenobia, quæ inter annos 270-272 maximam orientalis Imperii partem in dicionem suam redigit.

Inter quartum et sextum sæculum duo emiratus Arabici constituuntur; alter, e Lakhmidarum tribubus constans, cuius oppidum caput Hira ad orientalem Euphratæ ripam situm est, a Persis pendet; alter, factus e Ghassanidarum tribubus, ad Syriæ limitem collocatus, cum Romanis iungitur; utrique inter se pugnare non desinunt. Occasionibus bellorum inter Romanos et Persas ortorum, hos mercenarios Arabes non pudet etiam propriorum patronorum provincias diripere. Imperatores tamen eos punire non audent, immo eos blandiri coguntur. Exempli gratia, Iustinianus anno 529 nominat al-Hârith ibn Djabala ducem omnium tribuum in Syria, cum titulo phylarchæ et patricii; in Persarum aula quinto sæculo al-Moundhir I tanti ponderis est, ut præceptor fiat filii regis.

Ambabus tamen aulis mox displicet tanta potentia, quare, Constantinopoli regnante Tiberio II et Ctesiphonte Khhosro II, uterque emiratus expugnatur; exitus vero non est prosperus, nam loco Arabum principum, quibuscum imperatores tractare poterant, in conspectu nunc sunt permultæ tribus nomades, quas domare non valent. Immo ineunte septimo sæculo tribus Hakr ad orientalem Euphratæ ripam exercitum Sassanidarum profligat, quo eventu eorum debilitas Arabibus demonstratur.

Mahumetus nova religione sua Arabum tribus cunctis inexpectatam terribilemque potentiam creat. Locus hic non est ortum religionis mahumetanæ narrandi; tantum dicamus eam Arabum moribus multo melius convenire, quam christianismum. Mahumeti opus fuit totam fere pæninsulam Arabicam in dicionem suam vi redigere eique novam religionem imponere.

Mahumeto anno 632 mortuo, eius successores, « califæ » (i.e. vicarii) vocati, imprimis eius consilium omnium Arabum sub viride vexillum islamicum cogendorum efficiunt. Regnante primo califa, Abu

Bakr nomine (632-634), rebelles, qui in pæninsula Arabica novam religionem reiecerunt, anno 633 subiunguntur; Iudæi Hiericuntem confugiunt, christiani in Syriam. Eodem anno vincuntur Arabes Ghassanidæ, Byzantinorum socii, christiani facti; idem accidit Lakhmidis, Persarum sociis et monophysitis, quorum oppidum caput Hira expugnatur.

Cum mahumetani ad limitem duorum imperiorum adveniunt, incohatur *djibâd* (bellum sacrum). Byzantinos primum aggrediuntur, cum frequentes sint Arabes in Syria, atque anno 634, victis Byzantinis, Palæstinam occupant præter Hierosolyma et Cæsaream. Incolæ monophysitæ et Iudæi et Samaritani, qui tyrannicam orthodoxiam Byzantinam iam diu oderunt, invasoribus favent. Califæ Abu Bakr succedit Umar bin al-Khattâb (634-644), qui bello sacro dat novum impetum; anno 635 Damascus in deditionem venit, assentiente clero.

Heraclius, novi periculi tandem conscius, magnum exercitum in Syriam mittit; proelium ad rivum *Yarmuk* commissum (a. 636) diu manet incertum, sed quinto die Byzantini profligantur Syriamque relinquunt. Hierosolyma in mahumetanorum dicionem anno 638 cadunt, octo tantum annis postquam Heraclius, Persarum victor, Veram Crucem illuc triumphaliter reportavit. Cæsarea expugnatur anno 641 atque Mu'âwiya fit novus Syriæ præfectus.

Interea Arabes mahumetani Sassanidarum imperium etiam aggressi sunt. In omnibus proeliis Persæ vincuntur; Ctesiphon, eorum urbs caput, anno 637 expugnatur. Post ultimam cladem ad *Nebavend* acceptam (642), totum imperium in mahumetanorum dicionem cadit.

Anno 639 Arabes primam incursionem faciunt in Ægyptum, non ultimam. Byzantini vincuntur et anno 642 occupatur Alexandria, maxima ex urbibus ab Alexandro conditis, quæ facta erat summa lux orbis hellenistici. Eodem anno Cyrenaica etiam occupatur. Califa Umar anno 644 in meschita Medinensi trucidatur a quodam Persa in servitutem redacto.

Ei succedit Uthmân ibn Affân, bis Mahumeti gener (644-656). Eo regnante apparent diversi Corani textus inter se non congruentes, quare unum eligit, qui fiat textus obligatorius, ceteros autem deleri iubet. Anno 645 Byzantini Alexandriam recuperant, sed unum annum tantum eam servare valent. Arabes anno 647 primas incursiones faciunt in Asiam minorem ac duobus annis post etiam maritimas expeditiones facere valent, quibus insulam Cyprum occupant et Rhodum diripiunt. Anno 655 classem Byzantinorum, præsentem ipso imperatore Constantio II, prope Lyciæ litus vin-

cunt. Anno 656 Uthman Medinæ trucidatur a plebe irata.

Ali ibn Abi Talib, Mahumeti consobrinus, ei succedit (656-660), sine omnium consensu ; hac de causa post quattuor annos destituitur a Mu'awiya, Syriæ præfecto, qui fit primus califa stirpis Omeiadum (660-685). Inter annos 668 et 673 Arabes Constantinopolin primum obsident, sed frustra. Anno 717 iterum sunt sub mœnibus Constantinopolis, quam unum annum incassum obsident.

In Occidente nemo videtur mahumetanis ob stare posse. Anno 679 Carthago expugnatur et tota Africa septentrionalis mox est in eorum ditione. Anno 711, duce Taric, per Columnas Herculis in Hispaniam irrumpunt, Visigothorum regnum delent et Corduba potiuntur. Ex Hispania mahumetani in Galliam irrumpunt ; Narbonem anno 721 capiunt, tota Provincia potiuntur et inde ab anno 725 vallem Rhodani ingrediuntur, ubi Augustodunum (v. *Autun*) diripiunt. Ad septentriones pergunt et Francorum regni fines intrant, ubi Agedinum (v. *Sens*) frustra obsident.

Uno sæculo post Islam ortum Arabes toto fere orbe antiquo a Columnis Herculis usque ad extremam Persiam potiti sunt ; solum Constantinopolis et Francorum regnum valuerunt mahumetanorum impetum inhibere.

Tandem enim in Occidente, barbaro et rudi facto, oritur nova potestas. Germanica Francorum tribus, quæ se in Gallia collocavit et ibi sexto sæculo regnum condidit, ineunte octavo sæculo potius regitur a magistro domus regiæ, quam ab ipso rege. Hoc munere inter annos 717 et 741 fungitur Carolus postea Martellus cognominatus. Ille dux et princeps Francorum rogatur ut auxilium ferat Aquitanis, quos mahumetani aggrediuntur. Hi anno 721 iam frustra conati sunt Tolosam expugnare ; anno 732 Vandaliciæ præfectus Abd el-Rahman duplicem impetum facit et in Aquitaniam et in Rhodani vallem. A Carolo Martello vincitur et necatur apud Pictavam (v. *Poitiers*). In Rhodani tamen valle mahumetani progredi pergunt ; anno 735 capiunt Avennionem et Arelate ; anno 736 a Carolo Martello vincuntur, qui eos e Gallia gradatim expellit ; Narbo tamen, ultimum mahumetanorum oppidum in Gallia, anno demum 759 expugnatur ab eius successore Pipino Brevis.

Ille novus magister domus regiæ anno 749 vel 750 legationem ad papam Zachariam mittit, per quam petit ut sibi liceat regem Childericum III deponere et se eius loco substituere. Cum papa responderit licere eum, qui regni habenas vere tenet, regis titulum adipisci, sine

mora Childericum III, ultimum regem stirpis Merovingiorum deponit et ipse anno 751 rex eligitur a magna corona episcoporum et nobilium.

Necessarium erat hunc excursus per Galliam facere, quia mox nova Francorum stirps regia, Carolingi scilicet, magnas partes agent in scæna Europæa.

Redeamus autem ad Imperium Orientale sive Byzantinum, ubi Heraclius ægrotans desperatusque anno 641 moritur. Eius successores usque ad annum 717 ab historicis vocantur Heraclidæ, quamquam non omnes ad eius stirpem pertinent. Infeliciter plerique fuerunt mediocres omninoque impares periculo Arabico.

Intra unum annum duo Heraclii filii regnant : **Constantinus III** veneno necatur et **Heraclius II** a populo Constantinopolitano deponitur mittiturque in exilium, naso resecto. Filius Constantini III, **Constantius II Heraclius** (641-668), quamquam undecim tantum annos natus, legitime regnat sub senatus tutela.

Quæ cum ita sint, non mirum est si Arabes Ægypto imprimis, deinde tota Africa septentrionali potiuntur sine magna Byzantinorum resistentia. Alexandria anno 642 capta, volumina præstantissimæ bibliothecæ alunt thermarum præfurnia ; califa Omar dicitur decrevisse « omnem librum cum Corano consentaneum supervacaneum esse et omnem librum Corano contrarium esse blasphemum ».



*Nummus Constantii II (British Museum) ;
novus mos inter principes est mystacem gerere.*

Byzantini, quorum classis dominabatur in maribus orientalibus, nunc in prælio navali ad Lyciæ litus commisso, præsentem Constantio II, ab Arabibus vincuntur (655). Ultimis vitæ annis, Constantius II, Imperii salutem desperans, in Occidentem confugit, ubi, Syracusis, in balneo a quodam servo necatur.

Eius filius, **Constantinus IV Pogonatus** (668-685), regnum suum inchoat, cum Arabes, qui irruptionem

vastatoriam in Asiam Minorem quotannis facere iam solent, nunc sub Constantinopolis mœnia perveniunt. Tamen non solum Constantinus IV, qui inter Heraclidas fortitudine eminet, quinque annos (673-678) mahumetanorum obsidionem sustinere valet, sed insuper eius classis, ope ignis liquidi modo inventi, terribilem cladem infert classi Damasci califæ Mu'awiya. Etiam in Asia Minore mahumetanorum exercitus vincitur, ita ut califa pacem facere debeat. Præstantia Imperii restituitur.



Ignis liquidus talis, qualis in chronicis Iohannis Skylitzes ostenditur.

His gravissimis eventis non impediuntur perpetuæ vanæque controversiæ theologicæ. Heraclius, ut monophysismi rixam exstinguat, novam doctrinam, monothelismum vocatam et a patriarcha Sergio excogitatam, edicto « Ecthesis » vocato imponere vult. Patriarcha Alexandrinus Cyrus assentitur ; etiam Papa Honorius hoc compromissum accipit, dicens « se etiam profiteri unam voluntatem esse Domino Iesu Christo » ; sed propter hæc verba postea habitus est ut hæreticus, de quo usque ad nostra tempora (in Concilio Vaticano I) disputatum est.

Papa Severinus, Honorii successor, anno 640 legatos Constantinopolin mittit, ut, secundum morem, eius electio ab imperatore probetur ; cum hi legati Romam reversi textum edicti Ecthesis secum attulerint, Severinus eiusque successores id approbare nolunt. Qua de causa Constantius II edictum anno 648 abrogat, et novo edicto, « Tupos » vocato, vetat ne agatur de simplici an duplici Iesu voluntate ; Roma tamen non est contenta.

Martinus, statim ac papa factus est, concilium Lateranum convocat (649), ubi monothelismus et patriarchæ Byzantini condemnantur. Hoc valde displicet Constantio II ; eius iussu anno 653 Martinus ab exarcho Ravennati comprehensus Constantinopolin vehitur, unde, iudicata causa, in exsilium mittitur. Etiam in Oriente clamant voces contra monothelis-

mus ; vehementissima est ea monachi Maximi Chrysopolitani, qui, anno 662 Constantinopolin convocatus, condemnatur manu linguaque exsecata.

Manifesto monothelismus, excogitatus ut consensus tandem fieret inter christianos, contrarium effectum habuit ; alienatio disiunctioque Romæ a Constantinopoli est fere tota. Constantinus IV concordiam restituere statuit ; quod facilius fiet, cum post Syriam et Ægyptum perditas, pauciores in Imperio facti sint monophysitæ. In gratiam cum papa redire vult ; ad eum scribit se concilium œcumenicum esse convocaturum.

Tertium Concilium Constantinopolitanum annis 680 et 681 participant 174 episcopi et sacerdotes, e quibus septem tantum Occidentales, ipso Imperatore præside. Post longissimas asperasque disputationes doctrina Romana prævalet et monothelismus omnino condemnatur.

Ergo Constantinus IV valuit pacem cum militarem religiosam adipisci. Imperium iterum validum est, etsi eius opes valde minutæ sunt amissis frumento Ægyptiaco, florentibus artibus Syriæ et prospero commercio portuum Alexandria, Gazæ, Beryti et Antiochiæ. Insuper ab anno 679 Bulgari Danuvium transire incipiunt.

Iustinianus II (685-695), Constantini IV filius, foedus cum califa rumpit atque Arabes aggreditur ; sed vincitur (692), nec impedire potest quin Asia Minor vastetur. Præterea Bulgaros ultra Danuvium repellere non valet.

Pacem religiosam etiam perturbat ; anno enim 691 synodum episcoporum orientalium convocat, quæ « Quinisextum » vocatur. Ibi de rebus minoris momenti statuitur : exempli gratia non licet capillos calamistratos gerere, sacerdotibus licet uxorem ducere, et ita porro. Imperator iubet papam Sergium I obœdire synodi decretis ; cum is neget, eum rapere conatur, sed frustra.

Iustinianus II, odiosus factus omnibus, coniuratione deponitur et, naso exciso, exsul in Chersonesum Tauricam mittitur.

Leontius II (695-698), coniurationis caput, regno potitur, sed melior « Basileus » non est. Anno 698, cum Arabes omnem resistentiam in Africa septentrionali frerint, classis Africana rebellionem facit et suum nauarchum proclamat imperatorem.

Tiberius III Apsimar (698-705) Leontium II deponit eumque in carcerem iacit, naso exciso (videtur esse illius temporis consuetudo). Interea Iustinianus II exsul a custodibus aufugere valet inque Caucasum confugit apud nomades *Khazars*, qui a tempore Heraclii fideles sunt Byzantinorum socii. Uxorem

ducit sororem Khani, cui nomen Græcum datur, Theodora. Anno 705 cum parvo *Kbazars* exercitu Constantinopolin redit, ubi interfici iubet Tiberium III et Leontium II, qui in carcere languescit.

Iustinianus II, Rhinotmetes (naso exciso) nunc cognominatus (705-711), in throno restitutus, omnes opes ad ultionem confert, usque in Chersonesum Tauricam; tot homines trucidare iubet, ut mox oriatur rebellio, cuius caput est Philippicus Bardanes exsul.

Philippicus Bardanes (711-713), « Basileus » gaudente populo factus, interficiendum curat Iustinianum II eiusque filium. Intra breve regnum conatur monotheismum restituere, sed brevi deponitur et obcæcatur.

Anastasius II (713-715) « Basileus » electus Constantinopolis moenia restaurat, exercitum reficit, novam classem bellicam instruit; quamquam Imperium bene gubernat, pars militum rebellionem facit atque imperatorem proclamat Theodosium, qui Constantinopoli dolo potitur et Anastasium deponit.

Theodosius III (715-717) vix throno potitus est, cum mahumetani impetum iterum faciunt in Asiam Minorem; quare pactum facit cum Bulgaris contra Arabes. At Leo, provinciæ sive « thematis » Anatolici strategus, qui Arabes anno 716 repellere valuit, rebellionem facit; Theodosii filio capto, eum abdicare cogit.

Hæc series regnantium in fine temporis Heraclidarum, cum singuli breviter tantum regnent, non valet impedire quin Arabes Asiam Minorem vastent et magis magisque occupent; iidem anno 712 per-

veniunt usque Constantinopolin.

Cultus et societas civilis peior fit. Inter bella civilia ambitio, ferocia, proditio, crudelitas florent. Superstitio etiam maxime crevit, inde devotio erga sanctorum reliquias, credulitas in vi miraculosa sanctarum imaginum, inclinatio ad fatalismum.

Iam ab Heraclio Imperator vocatur $\pi\sigma\tau\omicron\varsigma \ \acute{\epsilon}\nu \ \Theta\epsilon\omega \ \beta\alpha\sigma\iota\lambda\epsilon\upsilon\varsigma$. Ecclesia semper maiore auctoritate fruitur, in vita tam publica quam privata. Patriarcha Constantinopolitanus, perditis patriarchatibus Alexandriæ, Antiochiæ et Hierosolymorum, potens persona factus est. Augetur monasteriorum frequentia et divitiæ; paganismo exeunte sexto sæculo sublato, simul disparuit mens antiqua. Imperium Byzantinum usque ad finem signatur Græcitate et orthodoxia; hoc magis magisque ingratum fit in Italiæ regionibus, quæ ad Imperium adhuc pertinent.

In Imperio Byzantino etiam magna mutatio ethnica facta est. In pæninsula Balcanica priores incolæ extenuati sunt perpetuis Barbarorum irruptionibus vastationibusque; novi populi se ibi collocaverunt; etiam in Græcia frequentissimi sunt Slavi.

Tempore Heraclidarum, Imperii Romana divisio administrativa mutata est; novæ divisiones maiores sunt; numerantur septem vel octo; eis nomen datur « thema », quo primum designatur pars exercitus, quæ ibi sedem habet, et reguntur a stratego. Tota Imperii administratio facta est militaris; hæc condicio etiam propria est Medii Ævi. ☩



Status Imperii Byzantini medio septimo sæculo. Indicantur limites thematum; cunctæ insulæ faciunt thema nautarum.

NICOLAI KLIMII ITER SVBTERRANEVM (III)

– quod legendum proponit Francisca Deraedt –

Nicolaus Klimius, cursor aulicus in orbe subterraneo factus, cum a Potuanorum principe dignus habitus sit, qui totum planetam Nazar pervestigaret, singulas illius globi civitates explorat lustratque sedulo. Ibi quot gentes inveniuntur, tot novi orbes esse videntur, maximeque stupendi, insoliti et mirabiles.

Omnes quidem populi pertinent ad arboreum genus, omnes tamen a Potuanis forma moribusque multum differunt. Alii sunt cupressi, alii olivæ; alii habent oculos quadratos, alii septem capita; alii semper currunt, dormiunt semper alii. Iam vidimus provinciam Quamso, in qua cum nemo sit tristis, nemo etiam est felix. In regno Quamboia ita est inversus rerum ordo, ut senes res pueriles tractent, iuvenes rei publicæ tutelam curent. In regione autem Cocklecu: ¹

« In regione dicta Cocklecu consuetudo obtinebat non minus perversa, et ab Europæis maxime damnanda. Inversus hic ordo non naturæ, sed solis legibus originem debuit. Incolæ terræ omnes iuniperi sunt utriusque sexus; at soli viri ad culinaria et ignobiles labores damnantur. Tempore belli militiæ quidem nomina dant, sed supra sortem militum gregariorum raro ascendunt, cum pauci admodum sint, qui vexilliferi fiunt; estque munus vexilliferi summa dignitas militaris, ad quam arbor masculina aspirare queat. Mulieribus contra maximi ponderis negotia, qua civilia, qua sacra et militaria committuntur.

« Nuper deriseram Potuanos, quod in distributione officiorum nullum sexus discrimen admitterent. At hæc gens furere mihi visa est, et naturæ penitus adversari. Capere sane non poteram indolentiam virorum, qui, cum corporis viribus longe sint præstantiores, indignum adeo iugum sibi imponi passi fuerint, ac tot sæcula ignominiam hanc concoxerint. Nam facile esset iugum excutere, modo vellent, aut auderent nervos muliebri huic tyrannidi incidere. At inveterata consuetudo usque excæcaverat animos, ut nemini in mentem veniret, pro tollenda ista ignominia aleam subire, quin crederent, naturam ita ordinasse, ut imperium penes mulieres esset, virorum vero esset texere, molere, pensum facere, ædes verrere, vapulare. Argumenta vero, quibus hunc usum tueri solent mulieres, hæc sunt: cum sexum virilem corporis viribus et lacertis ad duos perferendos labores aptioribus natura donaverit, credi potest, solum masculinum genus ad ignobiles ac ferreos labores relegasse.

« Stupebant extranei, cum domos introeuntes matremfamilias viderent in museo, cum stilo ac pugillaribus sedentem, maritum vero culinæ inerrantem et ollas patinasque tergentem. Et sane in quamcumque domum



venerim, cum patrefamilias locuturus, mittor ad culinam, ubi *Hic lavet argentum, vasa aspera tergeat alter; Vox dominæ fremit instantis virgamque tenentis.* ² (...)

« Ingens eodem tempore erat motus ob filium senatoris, cuius pudicitiam violaverat virgo. Male ob istud facinus passim audivit puella, et audiebam inter se mussitare amicos iuvenis, in ius mox vocandam virginem, et a proximo Consistorio ad nuptias ac reparationem honoris damnandam esse, in primis cum legitimis testimoniis evinci posset, inculpatæ adhuc vitæ fuisse iuvenem, quem ad amores illicitos pellegerat virgo.

« Tunc ego mecum tacitus: O terque quaterque beatam Europam nostram! Maxime vero Galliam et Magnam Britanniam, ubi sexus sequior nomini respondet, ubi mulieres cæce adeo virorum imperio ac voluntati obsequuntur, ut machinæ potius aut automata quam substantiæ libero arbitrio præditæ videantur.

« Non ausus sum, dum inter iuniperos hos versabar, perversam hanc consuetudinem palam damnare. At egressus urbe præcipua, nonnullis indicavi contra naturam hic agi, cum e iure universali et suffragiis omnium gentium constet ad ardua et momentosa negotia formatum esse sexum virilem. Regerebant hi: confundere me consuetudinem et institutionem cum natura, cum infirmitates istæ, quæ in sexu muliebri notantur, e sola educatione deriventur, id quod maxime patet e rei publicæ huius statu ac forma, ubi in sexu muliebri enitescere videmus virtutes animique dotes, quas mares alibi sibi solis vindicant. Nam mulieres Cocklecuanae modestæ sunt, graves, prudentes, constantes ac taciturnæ; contra viri leves, præcoces et loquaces. Hinc cum quid absurdi narratur, proverbium istud: viriles esse nugæ; et cum quid

præcipitanter aut præmature actum est, dicunt incolæ : dandam esse veniam impotentiae virili. (...)

« Inter splendidissima huius urbis aedificia erat gynæceum regium trecentis, qua viris qua adolescentibus speciosissima formæ instructum. Hi omnes alebantur sumptibus reginæ, cuius deliciis inserviebant. Cum audirem formam corporis mei a nonnullis extolli, veritus ne in gynæceum istud a venatoribus abriperer, iter maturavi, et... *pedibus metus addidit alas.* »³

Hoc vitato periculo, Klimius currit ad vicinam regionem. Quæ « Regio Philosophica » eo vocatur, quod eius incolæ nulla re occupantur nisi philosophia subtilibusque scientiis. Quantum avet baccalaureus noster hanc Musarum sedem videre ! Appropinquans autem, loco florentis horti philosophici, quem erat imaginatus, viis occurrit salebrosis, lutosi, incultis :

« Sed molestiis his fortiter obnixus sum, satis gnarus, per aspera iri solere ad astra.

« Horæ spatio cum his difficultatibus luctatus, obvium habui agricolam, quem comiter interpellans interrogo, quantum adhuc abessem a Mascattia sive Regione philosophica. Respondet ille : 'Quærendum potius, quantum itineris sit reliquum, cum iam in meditullio regionis versaris.' Attonitus hoc responso, 'Qui fit, dicebam, ut terra a solis philosophis habitata speciem horrentium potius lustrorum quam cultæ regionis præbeat ?' Regessit ille, terræ faciem brevi fore meliorem, quam primum tempus detur incolis eiusmodi minutiis vacandi. Nunc, ait, solis cælestibus rebus intentos omnes id agere, ut iter quoddam ad solem detegant ; excusari proinde debere, si agros ad tempus incultos relinquunt ; haud enim facile esse flare simul ac sorbere.

« Intelligebam mox, quo collinearet oratio versuti villici ; et iter persecutus, tandem ad metropolin Caskam perveni. In portis civitatis pro custodibus anseres conspexi, gallinas, nidos avium et aranearum telas.

« Urbis plateis porci ac philosophi passim inerrabant ; sola hi corporis forma distinguebantur a porcis, ceteroquin sorde ac illuvie similes. Pallia eiusdem generis portabant omnes philosophi ; sed, quis color iisdem, discernere nequibam, cum pulvere et luto essent obsita. Eorundem unum, quem meditationibus defixum recta ad me tendere videbam, ita alloquor : 'Dic, quæso, quodnam nomen huic urbi, Magister !' Ille immobilis, inconnivens, tamquam secessu mentis atque animi facto a corpore, diu stabat ; tandem vero ad cælum oculos tollens, respondet : 'Haud procul a

meridie sumus.' Ineptum adeo responsum, insignem animi aberrationem indicans, persuasit melius esse parce studere, quam præ nimia doctrina delirare. Urbis mox interiora penetravi, visurus an præter Philosophos, homines aut creaturas rationales forte invenirem. Forum urbis, quod valde spatiosum erat, diversæ ornabant statuæ et columnæ, titulis atque inscriptionibus distinctæ. His accedebam, periculum facturum, ecqua forte epigrammata legere possem. Sed, dum in eo conatu desudo, tergum mihi incalescere ac madidum fieri animadvertēbam. Hinc retrospectens, ut fontem calidi fluminis detergerem, conspicabar Philosophum posteriora mea permingentem. Nam meditationibus abstractus, statuam me credidit, ad quam vesicam exonerare solebat. Tantæ ego contumeliæ impatiens, in primis cum philosophum istum albis insuper me dentibus deridere cernerem, palma excussissima alapam illi applicui. Quo facto, rabie ille percitus, in capillos meos invasit perque totum forum vociferantem traxit. At, cum iram satiari non posse viderem, statum præliantis composui, par pari referens, adeo ut ratio accepti et expensi inter nos quodammodo conveniret. Tandem, post acre certamen, cadimus ambo athletæ.

« Ad spectaculum istud accurrebant innumeri Philosophi, moreque furentium impetum facientes, pugnis ac fustibus articulatim cæsum animamque propediem agentem, totum circa forum capillis raptarunt. Cædendo tandem fessi, licet non satiati, ad spatiosam domum me ducunt, et, cum obnixi in ianuam pedibus obluctarer, meque ingressurum fidenter abnuerem, obducto me collo, ceu porcum mugientem, intro rapiunt, ac in medio pavimento supinum ponunt. Turbata omnia et confusa ibi erant, ac talis mihi visus est ædium status, qualis apud nos esse solet circa terminos Michaelis aut Paschatis, ubi res mobiles, vasa ac utensilia in novam domum transferenda confuse proiciuntur.

« Cœperam tunc sapientes nostros suppliciter orare, ut iræ modum imponerent et ad misericordiam se flecti paterentur, docens quam indecorum esset philosophiæ et sapientiæ cultoribus more ferarum sævire, et affectibus, contra quos declamare solent ipsi, nimium indulgere. At surdis fabulam narrabam. Nam philosophus iste, qui tergum mihi perminxerat, certamen intergrabat, ac me miserum, quasi incudem, tot ictibus cædebat, ut videretur non nisi morte mea placari posse. Didici tunc nullam iram philosophica esse fortiorem, virtutumque commentatores longe ab earundem cultura abesse... *Nec enim minor ira rebullit Pectore in hoc, leviorve exurit flamma medullas.*⁴

« Tandem domum intrarunt quattuor Philosophi, quorum pallia singularem sectam indicabant. Iidem

sævientium minas, qua voce, qua manibus, interpellantes, sortem meam miserari videbantur; ac, postquam cum ceteris seorsum locuti fuerant, in aliam domum me transtulerunt. Lætabar ego, prædonum me manibus ereptum, in honestos viros incidisse, causamque harum turbarum rogantibus fuse exposui. Subridebant illi ad fabulam adeo lepidam, dicentes solitum esse Philosophis, in foro ambulantis, ad statuas has mingere, ac verisimile esse aggressorem meum, in meditationibus philosophicis defixum, pro statua me cepisse. Dicebant porro eundem esse magni nominis Astronomum, ceterosque, qui tanta rabie in scapulas meas sævierant, Doctores esse philosophiæ moralis. In portu me iam esse credebam, et omnis periculi securus, hæc et alia narrantes cum voluptate audiebam. At suspicionem quandam movebat formæ meæ examinatio nimis curiosa; porro quæstiones de vitæ genere, itineris causa et patria, toties iteratæ, nec non subsecuta secreta murmura, instantis mali præsigna erant.

« Verum mens præ timore mihi pæne excussa fuit, cum in cameram quandam anatomicam compingerer, ubi proiectam videbam horrendam ossium et cadaverum struem, quæ fœdo totam odore implebant. Credebam mox latronum esse cavernam; sed quæ e parietibus suspensa erant instrumenta anatomica metum paulo diminuebant, cum exinde pateret hospitem meum medicinæ aut chirurgiæ operari.

« Postquam semihoræ spatio in ergastulo hoc solus torpueram, intrat matrona cum prandio, quod mihi paraverat. Valde humana videbatur, at attente me aspiciens per intervalla suspiria edidit. Quærenti mihi doloris causam, respondet, instans mihi fatum suspiria hæc elicere: 'In honestam equidem domum, ait, venisti; nam maritus meus, huius insulæ dominus, publicus civitatis Physicus est et Medicinæ Doctor, ceterique, quos vidisti, eius collegæ sunt. At iidem, insolitam corporis tui formam mirati, decreverunt machinam interiorem ac viscera tua penitus examinare dissectionemque corporis facere, visuri, ecquid novi detegant, quo anatomia illustrari queat.' Palpitantem animum hæc verba percusserunt. Edito igitur horrendo clamore: 'Qui, inquam, Domina! dici possint boni viri, qui honesti et innocui hominis ventrem findere non dubitant?' Tunc illa: '*Non venit in mentem, quorum consederis arvis*:⁵ in honestos viros incidisti, qui malo animo nil facturi, solo anatomix illustrandæ studio hanc operationem decreverunt.'

« Ad hoc regerebam malle me a latronibus dimitti, quam ab honestissimis viris dissecari, moxque ad genua matronæ provolutus, manantibus ubertim lacri-

mis, intercessionem illius implorabam. Respondet illa: 'Intercessio mea parum tibi proderit contra Facultatis conclusum, quod irrevocabile solet esse, at per aliud te medium morti subducere conabor.' His dictis, manu me prehensum per pseudothyrum eduxit, ac trepidantem comitata est usque ad portam civitatis. Tunc servatrici meæ valedicturus, verbis conceptissimis gratum animum, uti par erat, exprimere conabar, at proœmiari incipientem interpellans, se non abituram ait, antequam videret me extra omne periculum constitutum, meque non reluctantem comitari pergit.

« Dum iam ambulamus, varii de statu huius regionis seruntur sermones, et avide ego omnia audiebam. At digressa est tandem ad narrationem, quæ parum grata auribus meis erat, cum exinde conicerem, pro præstita illam opera poscere nonnulla, quæ moraliter impossibilia mihi erant. Nam patheticè exposuit iniquam in hac regione matronarum sortem, cum pædago-gi hi philosophici, litteris penitus sepulti, officia coniugalia prorsus negligant. Possum, ait, iureiurando testari actum de nobis fore, nisi unus et alter honestus ac misericors advena miserias nostras sublevaret et malis, quibus excruciamur, medicas identidem admove-ret manus. Simulabam ego non intelligere scopum, ad quem collineabat. Gradum addere cœpi, at frigus meum æstuantis desiderium auxit. Hinc, *Consumptis precibus, violentam transit ad iram, Intendensque manus, passis furibunda capillis*⁶ ingratum animum mihi obiecit.

« At cum nihilominus ego iter persequor, laciniam togæ meæ apprehendens, obnitentem retinere moliebat. Hinc vi adhibita, e manibus matronæ me eripui et, cum incessus celeritate præstantior essem, brevi extra conspectum illius me proripui. Quanta tunc rabie accensa in me fuerit, ex his verbis, quæ identidem evomuit, scilicet *Kaki spalaki*, i. e. ingrate canis, didici. At dicteria illius Spartana nobilitate concoxi, lætus quod ex hac sapientium terra, cuius absque horrore meminisse nequeo, salvus quodammodo evasissem. » ❧

1. Textus, qui hic proponuntur, excerpti sunt e libro nono (cap. 29-50) operis c.t. *Nicolai Klimii iter subterraneum*, auctore Ludovico Holberg (1684-1754).

2. Iuv., *Sat.*, XIV, v. 62-63.

3. Verg., *Æn.*, VIII, v. 224.

4. Petr., *Sat.*, CXXI.

5. Verg., *Æn.*, IV, v. 39.

6. Ov., *Met.*, VIII, v. 106-107.

DE RESURRECTIONE ET REINCARNATIONE

– scripsit Paulus Kangiser –

Nostris diebus multi in reincarnationem credunt, adeo ut in agnatorum vel amicorum cœtibus interdum eos inveniamus qui sibi antectam alio in corpore fuisse vitam putent, et in posterum novum corpus novamque vitam sperent; reincarnatio altero nomine metempsychosis dicitur, de qua Pater Cœlestis Eichenseer in *Vocis Latinæ* fasciculo II anni MDCCC-CLXVI tractavit,¹ cuius argumenta tamen hic haud sequar, sed alio quodam modo rem exponam; imprimis animadvertendum est hodie nemini negari ius credendi in quamlibet religionem (sensu hodierno) vel in quemvis Deum aut in nullum; tres sunt – ut scitur – propagatæ religiones quarum fideles sese monotheistas esse confitentur: Iudæi et Christiani et Muslimi; hi omnes resurrectionem quoque sperant; insuper exstant multæ fides religiosæ quæ plerumque affirmant hominum animas una cum corpore non mori sed in ignotam regionem migrare; sunt etiam quæ docent « cum corporibus animos interire atque omnia morte deleri ».²

Libertate credendi firmiter servata, nunc oportet dicamus in credendo nos quadam ratione egere, ita ut doctrinis contradictoriis absistamus; etenim non possumus credere Deum esse et simul non esse, aut nos esse atheos et simul esse Christianos vel Iudæos vel Muslimos; item si erit resurrectio non est reincarnatio et vice versa; itaque a religionibus, quarum sectatores sperant reincarnationem futuram, discedere debemus qui putamus nos olim esse resurrecturos; attamen non solum Christiani sed Catholici interdum inveniuntur in reincarnationem contra suam fidem credentes; reincarnatio et resurrectio sunt inter se repugnantes, ita ut non possimus in utramque simul credere; tantum possumus cum iis, qui contraria vel dissimilia sequuntur, comiter disputare.

Variis de causis hæ fides sese invicem excludunt: primum, quod natura humana non putatur eadem in utraque religione, nam si homo totus in anima et corpore olim resurget id fieri non possit nisi unum corpus unaque anima sit singulis hominibus; sin autem multa corpora singulis animis per ætatis intervallum essent, tunc non homo totus resurgeret sed anima cum corpore uno, reliquis deletis vel deperditis; secundum, quod cum quærimus quid sit vita æterna, responsum ex resurrectione depromptum valde differt ab eo ex reincarnatione, de qua pauca infra dicentur; præterea quamvis ii, qui in metempsychosin credunt, non semper sint athei, tamen reincarnatio sine Deo etiam potest intellegi, resurrectio vero sine Deo omnipotenti fieri non potest; iam vero ex his patet esse locum in quem utraque religio congruit: animam humanam esse immortalem; etenim hominum anima, quæ est natura

spiritalis, corpori adeo adiungitur ut in unum redigantur; mors unice corpus vitiat nam anima, prout spiritus, est immortalis: sine fine perdurat.

Iudæis ante Christum natum fides erat in resurrectionem; inter alia exstat historia septem fratrum Machabæorum, qui a rege Antiocho crudeliter cruciati et necati sunt ut legem Mositicam violarent; omnes ad unum perierunt dum resurrectionem et vitam æternam futuram proclamant (2 Mach. 7).

Hæc fides usque ad Iesu ætatem vigeat; narratio de resurrectione Lazari, qui amicus Iesu christi fuit, maxime testatur fidem Iudæis Iesu coævis fuisse in resurrectionem ac vitam æternam; dixit autem ad Iesum Martha, altera ex defuncti Lazari sororibus: « Domine, si adfuisses, frater meus non esset mortuus! Sed etiam scio quæcumque a Deo poposceris, tibi ab Eo datum iri »; dicit illi Iesus: « Resurget frater tuus »; dicit ei Martha: « Scio eum in novissimo die resurrecturum esse »; dicit ei Iesus: « Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etsi mortuus fuerit, vivet; et omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in æternum » (Io. II, 21-26); Martha et Iesus de resurrectione ad Iudæorum mentem illius temporis loquuntur, nam hominem putabant esse unitatem neque corpora ab animis expresse distinguebant; Iesus Marthæ opinioni non adversatur sed docet mortem corporalem non obstare quin homo defunctus aliam postea vitam æternam resurrectus agat.³

Crucifixo Iesu, unus ex latronibus, qui una a suis crucibus pendebant, sic loquebatur: « Iesu, memento mei cum veneris in regnum tuum », et Iesus respondit: « Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiso » (Lc. 23, 39-43); Iesus spondit de morte eum statim perventurum esse in paradysum, quod verbum Iudæis locum gratum et amœnum significabat; ætas igitur post mortem iam beata fidelibus promissa est.

In Euangeliis affirmatur Iesum resurrectum discipulis dixisse se non esse larvam, sed verum sibi esse corpus carne et ossibus et idcirco posse tangi; præterea Iesus ambulavit et comedit (Lc. 24, 30-43); attamen in quemlibet locum, ianuis clausis, introire poterat (Io. 20, 19 et 26); corporea humanitas eius, prout resurrecti, erat atque est – Christianis – vera, sed a corporum terrenis restrictionibus aliena.⁴

Romæ in Sanctæ Sabinæ basilica in pariete laterali est mediævale sepulcrum cum titulo de eo qui intro iacet: « VT MORTVVS VIVERET, VIXIT VT MORITVRVS ». Admirabilem sapientiæ christianæ summam!⁵

De Muslimis ut ignarus pauca dicam; legitur in

Sacro Corano : « Quisque morte fruetur, sed mercedem non accipietis usque ad diem Resurrectionis. Vincet is qui ab Igne servetur et in Hortum introducetur. Vita citerior non est nisi falsa voluptas » (Sura sive caput 3 n. 185) ; etiam : « In diem Resurrectionis libras, quæ iusta pondera indicent, parabimus et nemo iniuriam patietur » (Sura 21 n. 47).⁶

Nunc videamus quid comperiamus ex iis qui in metempsychosin credunt, in quibus excellunt Buddhæ⁷ sectatores, qui tamen eius doctrinam secundum nationes quadam mutatione paulum aptaverunt ; quattuor præcipuas veritates Buddha docuit : in omnibus rebus dolor inest ; cupido est doloris causa ; remedium doloris in cupidine delenda invenitur ; per semitam (« marga ») in « nirvanam » eundum est, ubi nec cupido erit nec dolor nam ibi erit extinctio, quia in « nirvana » in unum cum reliquis quisque confundetur ; semita autem in « nirvanam » per vitas terrenas transit ita ut e vita anteacta in vitam posteram anima vitia sua purget in corpore humano vel animali vel divino ; ea vitia, quæ ex anteacta vita accipiuntur et feruntur in præsentem, « karma » vocantur. Post mortes et resurrectiones per intervallum « karma » purgatur usque dum in « nirvanam » pateat aditus.⁸

Quidam psychologi per hypnosin non solum in infirmorum infantiam sed etiam in præteritarum vitarum reminiscentiam pervenire dicuntur ; quapropter multi, qui huius modi hypnosin experti sunt, se vitam præteritam habuisse vere putant ; quidam amicus meus, qui est theosophista, firmiter credit in reincarnationem ; nos invicem disceptare nec irasci possumus ; olim adhibuit hoc argumentum : me in anteacta vita fuisse civem Romanum vel saltem Latinum et idcirco Latinitatem a me coli et amari.

Ex fide tum Christiana cum Catholica, novissimo die homo totus et integer, qui est anima una cum corpore uno, resurget ; anima, quæ mortem non patitur, non resurget ; corpus quod sine anima non vivit, minime resurgere posset nisi anima eadem, quacum antea una fuit, in corpus reverteretur.

Qui animam spiritalem immortalemque iudicamus, exspectamus aut resurrectionem aut reincarnationem ; utramque exspectare nequimus ; ego magis Euangelio volo confisus ad mortem appropinquare, sed, ut plerisque contingit, valde curiosus. ☞

1. Metempsychosis sive animarum transmigratio ; etiam dicitur recorporatio idem significans.
2. Cicero, *De Amic.* : « Neque enim assentior iis qui hæc nuper disserere cœperunt, cum corporibus simul animos interire atque omnia morte deleri ; plus apud me antiquorum auctoritas valet, vel nostrorum maiorum, qui mortuis tam religiosa iura tribuerunt, quod non fecissent profecto si nihil ad eos pertinere arbitrarentur » (13).
3. Vid. (Hispanice) Cardenal Jorge A. Medina Estévez : *La Vida Eterna*, Ed. Paulinas, ISBN 978-956-290-124-6.
4. Cardinalis Medina, *Op. cit.*, pag. 27.
5. Cardinalis Medina, *Op. cit.*, pag. 37.
6. Transtuli ex versione Hispanica (editio electronica) a Julio Cortés confecta ; Vid. paginam domesticam hanc : www.islamelsalvador.com. Inter alia de resurrectione vid. etiam Suram 2 n. 174 et 212 ; et Suram 3 n. 77, 161 et 180 ; Suram 17 n. 13, 62 et 97.
7. Siddhartha Gautama, postea appellatus Buddha (sive Buda), natus in Kapilavastu prope Nepaliam anno 565 ante Chr. natum, mortuus anno 486, prædicavit annos ad quadraginta, cuius doctrina (« quattuor præcipuæ veritates ») post eius mortem litteris dedita est.
8. « ¿ Qué lugar ocupa Dios en el Budismo ? » (« Qui locus sit Deo in Buddhismo ? ») in ephemeride *Humanitas*, Pontificia Universidad Católica de Chile, n. 15, invierno de 1999, pag. 376-389.

DE ÆQVATIONE MIRA VIRIDIVM

- narrat Tuomas Nevanlinna, Latine Samius Jansson -

Hæc symbola Finnice divulgata est a. d. IV Idus Februarias, MMX, in actis diurnis 'Helsingin Sanomat'. Tuomas Nevanlinna est philosophus et scriptor Finnis.

Motus viridis politicus in mentem affert notionem « rerum naturæ ». Et difficillime ulla altera causa virides cives inter se coniungens reperitur. Sub nomine motus eiusdem pipilaverunt tam iuvenes postmoderni recentiores et neotechnocratici, tam politici professionales quam somniatores, sic Pentti Linkola¹ ut felium fautores iurati. Unica sola theoria non sustinet cogitationem viridem. Et eadem cogitatio ne simulat quidem se esse unicam theoriam sustentam, sicut marxismus suo tempore potuit facere. Cur ?

Fundamento sumo duas ideologias historicas, quæ sub sæculum XX condensatæ sunt. Neutra ex iis est disciplina unica. Utraque potius est velut amnis fundamentalis, qui procreavit varios flores philosophicos et politicos.

Primam ideologiam voco *œconomismum*. Secundum eius ideam principalem molæ œconomicæ et technologicæ producunt tale bonum materiale, quod politice contradicitur minime. Œconomismus deducit omnes suas veritates de theoria œconomica simul ac implicatus etiam est fiducia rationis et progressionis. Istum repræsentant multæ liberalismi et marxismi formæ. Sic etiam democratia socialis.

Alteram ideologiam voco *rousseauismum*. Hæc ideologia orta est ex variis romantificantibus rationibus philosophiam Ioannis Iacobi Rousseau interpretandi. Vitam naturalem et organicam esse, heia, meliorem quam de natura alienatam et fragmentosam. Scelestos esse illos, qui rerum naturam pro instrumento habeant, qui collectivitate careant, qui multitudinem cæci

sequantur, qui et supra modum consumant opes naturales. Evanuit rationis et progressionis fiducia, cuius in loco nunc tonat prædicatio utopico-nostalgica.

Decennio 1960 divulgari incepterunt symbolæ et relationes, quibus sensim definita est notio hodierna « œcologiæ ». Auctores earundem relationum observaverunt imprimis Terram non providere infinitas opes ad usum humanum. Opes naturales esse parcas et proinde participes systemati œconomico.

Postea variæ rationes inventæ sunt ad prohibendum, ne naturales opes leviter profunderentur. Istæ tamen rationes in œconomismum non ferunt argumenta contraria. Immo, eisdem quidem rationibus societas humana *ulterius fit œconomica*.

Pessimus dumtaxat ex exterioribus effectibus est depravatio circumiacentiæ. Inde inventa sunt vectigalia emissionalia. Societatis etiam eiectiones iterum in usum remittuntur efficaciter. Quid plus œconomicum esset ?

Œcologia est triumphus œconomismi : œconomia revera est universalis. At interim œcologia delet œconomiam, quod diagnosis ultima et necessaria est rousseauistica. Ratione quadam vel altera.

Motus viridis gignitur in puncto irrationali, quo œconomismus et rousseauismus se intersecant. Mirum igitur non est, quod hæ ipsæ ideologiæ perpetuo inter se contradicunt. Agitur de matrimonio coacto et rixa familiari. ☹

1. Pentti Linkola est piscator et œcophilosophus Finnis, qui ipse vivit sicut docet.

BOS IN LINGVA

adagium 618

DE VERE TRANSLATICIA PECCATI ORIGINALIS EXPLICATIONE

– scripsit Geraldus Wailliez * –

Si Christiano de Duve¹ credamus, originale peccatum non hominis, i.e. protoparentum nostrorum, sit culpa, at revera in ipsius Creatoris² errore consistat, cuius Providentiam fefellerit selectionem naturalem ad nimiam hominum frequentiam necessario ducere, « unde veni(a)nt mala hodierna et maiora in futuro expectanda ». Contra quam frequentiam, religione non obstante, strenue pugnandum sit, onanismo seu atociis,³ abortu provocato necnon multatis in reluctantes.⁴

Si autem Ioannem van Kasteel⁵ sequamur, « scientia » quam « traditam » vocat (sed non definit) doceat « fermentum peccati » nihil aliud esse nisi « materia(m) viscosa(m), ‘gluten’ vocata(m) », quæ « in sanguine nostro late(a)t », humanitatisque nullam esse spem felicitatis superioris quamdiu hæc materia impura et corruptibilis non expulsa sit. Quæ « traditio » (cuius ne initium quidem probationis affertur) manichæis-mum gnosticum mihi valde redolere videtur, quasi malum ipsi corpori insit ac non tantum eius inordinatæ dominationi in animam spiritualem (quæ inordinatio vere e peccato originali defluit, ut infra videbimus).

Huic tamen scriptori plane assentior cum negat « summam quæstionem esse nimiam hominum frequentiam ». Quod si verum esset, summi malefactores medici essent, ac præsertim qui senes curant. Quorum medicorum « culpa » lapsuque natalitatis societas veterascit, portio allophylosum hominum (quorum plurimi a nostro translaticio Græco-Romano christianoque civili cultu alieni sunt) supra modum crescit, onus nummarium curarum (v.g. in nosocomiis) in dies ingravescit pondusque emeritorum solvendorum mox pæne intolerabile fiet. Ceterum patet artum vinculum esse inter necem infantium in ventribus matrum et sic dictam euthanasiam (adhuc verbis voluntariam tantum, at revera ac probabiliter in posterum lege, saltem indirecte, decernendam). Quoad periculum incrementi hominum frequentia ad opum terræ rationem, iam antiquus et centies oggannitus est mythos.⁶ Quoties enim novæ insperatæ opes inventæ sunt ! Quoties quoque inopia ex immoderato bonorum usu, iniustitia sociali aut contra pigritia aliisque causis gignitur. Terræ opes non omnino infinitas esse concedo, at mundus æternus non est ; ac, ut optime docuit Papa Pius XII,⁷ Deus ab hominibus de universali humani generis fato rationem non reposcet (quod ad ipsius Providentiam pertinet) at de eorum legibus suis moralibus obœdientia. « Quærite ergo primum regnum Dei et iustitiam eius : et hæc omnia adiciuntur vobis. »⁸

Sed ad ipsum peccatum originale reveniamus. Quid sit et quæ eius consecutiones sint, nunc breviter videbimus secundum Sacras Scripturas utriusque

Testamenti, Traditionem christianam ac magisterium Ecclesiæ catholicæ-Romanæ.⁹

In libro Genesis (cap. II et III) legimus Adam et Evam a Deo quidem « in paradiso voluptatis » positos, a diabolo autem (sub specie serpentis) tentatos, contra divinum præceptum peccavisse, ita ut capite doloribusque damnati e paradiso eiecti sint, promisso tamen Redemptore.

Quæ doctrina cum variis paganorum populorum traditionibus multo melius concordare videtur quam sic dicta « scientia tradita » de qua supra. « Sic, inter Græcos, Hesodius describit Promethei fatum qui, postquam ignem e cælo eripuit, non solum in se crudeles pœnas luit, sed etiam causa fuit cur cuiuscumque generis mala totum terrarum orbem pervaserint. Inter Latinos, Cicero rem sic declarat : ‘Ex (...) humanæ vitæ erroribus et ærumnis fit ut interdum veteres illi vates, sive in sacris initiisque tradendis divinæ mentis interpretes, qui nos *ob aliqua scelera suscepta in vita superiore* [Italicis litteris apud Tanquerey] pœnarum luedarum causa natos esse dixerunt, aliquid vidisse videantur, simili nos affectos esse supplicio’ ».¹⁰

Secundum biblicam christianamque doctrinam, Adam, in statu iustitiæ et sanctitatis creatus bonisque præternaturalibus integritatis et immortalitatis donatus, per peccatum suum hæc gratuita dona non solum pro se ipso sed et pro posteritate sua perdidit, « ita ut omnes homines a gratia sanctificanti, amicitia Dei iureque ad cælum orbat, ignorantia obnoxii, ad malum proni, passione morteque damnati nascantur. »¹¹

Ac specialiter, quoad amissionem immunitatis a concupiscentia (i.e. « vehementi propensione ad bona sensibilia sive illicita, sive licita sed modo immoderato, præter et contra rationis ordinem »),¹² notandum est Adam et Evam ante peccatum nudos fuisse ac non hac de causa erubuisse, postea vero huius nuditatis puduisse.¹³ Quod plane contradicit Christianus de Duve, qui aliqua vitia impudicitia contra naturam numerat inter media « redemptionis » (!) peccati originalis, cum ex eo ipso defluant vindictamque Dei in homines qui talia facinora patrent sæpe iam in hoc mundo evocent.¹⁴

Quid plura ? Sat prata biberunt. Si quis habet aures audiendi audiat. ☪☪

* Gratias ago Dominæ Marcellæ Dejaive, emeritæ linguarum classicarum magistræ, quæ textum correxit.

1. Cf. *Melissa* n. 153, G. Licoppe, *Originalis peccati genetica explicatio*.

2. In quantum exstet...

3. Atocium (ἀτόκιον): medium ad infantium conceptionem vitandam (Plin., 29, 85).
4. Modo totalitaristico. O sacrosancta « hominum iura »! (nota G.W.)
5. Cf. *Melissa* n. 154, *Originalis peccati tradita explicatio*.
6. Hoc verbo iure usus est Dr Med. Philippus Schepens, Belga sodalis Pontificiæ Academiæ pro Vita, in *La Libre Belgique*, 7 m. Iunii 1994.
7. Oratio ad Italicam societatem frequentium familiarum, 30 m. Ianuarii 1958.
8. *Math.*, VI, 33.
9. Qui de peccato originali plura scire vult consulat v.g. Sanctum Thomam Aquinatem, *STh.*, Ia, IIæ, qu. 81-83; Concilium Tridentinum, sessio V, Decretum de peccato originali, DENZINGER-SCHÖNMETZER, *Enchiridion symbolorum, definitionum, declarationum* (postea 'DS'), 1510-1516; Responsa Commissionis de re Biblica 30 Iun. 1909 de Characterem historico priorum capitum Geneseos, DS, 3512-3519; A. TANQUEREY, *Synopsis theologiæ dogmaticæ*, ed. 29a, 1959, t. I, n. 881-948; Catechismus ad usum omnium diocesium Belgicarum (Francogallice et Nederlandice), 1946 (reimpr. 1963), qu. 52-63.
10. TANQUEREY, *op. cit.*, n. 947, referens ad « Theolog. » (lege « Theogon. ») atque « Hortensium, sive de philosophia fragmenta ».
11. Catechismus cit., qu. 60.
12. TANQUEREY, *op. cit.*, n. 866. Quæ concupiscentia etiam post peccati originalis remissionem remanet, non autem ut peccatum formale sed ut fomes peccati (Conc. Trid., decr. cit., can. 5, DS, 1515).
13. *Gen.*, II, 25 et III, 7, 10-11, 21.
14. Cf. i.a. *Gen.*, XIX, 4-28 (de Sodoma et Gomorra); XXXVIII, 8-10 (de Onan); *Rom.*, I, 26-27 (de homosexualibus feminis virisque); *Cat. cit.*, qu. 223-224 (de peccatis « quæ Deum ultorem invocant »).

DE NOVIS LIBRIS

Axel SCHÖNBERGER, *Priscians Darstellung der lateinischen Pronomina. Lateinischer Text und kommentierte deutsche Übersetzung des 12. und 13. Buches der Institutiones Grammaticæ*, Francofurti Mœnani, Valentia, 2009, 238 p.

Iam in aliis *Melissæ* fasciculis laudata est grammaticorum Latinorum editio, quam Axelius Schönberger suscepit in « Bibliotheca Romanica et Latina » paulatim proponendam.

Prisciani, clarissimi Africani qui grammaticam linguamque Latinam initio sæculi VI Constantinopoli professus est, iam anno 2008 in hac librorum serie iterum editus est liber quartus decimus « De præpositione ». Ecce nunc liber duodecimus et tertius decimus « De pronomine », similiter ornatus Theodisca translatione et permultis necnon doctis adnotationibus. Additur commentarius de pronominis usu apud Priscianum, bibliographia et, tamquam appendix, anastatica redimpressio editionis ab H. Keil undevicesimo sæculo factæ in præclaro opere c.t. *Grammatici Latini*. Scitu etiam dignum est auctorem editionem bilinguem annotatam totius Prisciani operis nunc præparare – opus sane ingens.

ISBN 978-3-936132-34-2

In hoc fasciculo !

- De Arelate duplici* [G. Licoppe] p. 1
Memnon sive de humana sapientia [Voltaire - F. Deraedt] p. 3
De Romano imperio orientali (IX) [G. Licoppe] p. 5
Nicolai Klimii iter subterraneum (III) [H. Holberg - F. Deraedt] p. 9
De resurrectione et reincarnatione [P. Kangiser] p. 12
De æquatione mira viridium [S. Jansson] p. 14
De vere translaticia peccati originalis explicatione [G. Wailliez] p. 15
Bibliotheca Latina p. 16

Imago tegumenti : caput Gai Iulii Cæsaris
(Arelate, Museum antiquæ Arelatis ; fotogr. G. Licoppe).

MELISSÆ ITER TVNETANVM

TVNESIA ANTIQVA – AFRICA ROMANA

18-25 Sept. 2010

de quo plura hoc loco :

<http://web.me.com/fundatiomelissa>

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.
Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$
Banque ING : 310-0644994-30,
Bic BBRUBEBB, IBAN BE15 3100 6449 9430

